



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XLIV. Proponuntur alia argumenta contraria, & dissolvuntur.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

ordinationis, & promissionis divinæ.

928. Instabis; Justus per gratiam habitalem est filius adoptivus Dei; sed eo ipso, quod est filius adoptivus Dei, habet jus ad gloriam æternam, etiam seclusâ promissione divinâ; ergo hæc seclusâ, illam meretur justus de condigno. Respondeo negando minorem, si sermo sit de jure proximo, & completo, ut proximè diximus; neque enim gratia habitualis ex suo conceptu intrinseco constituit justum filium adoptivum Dei in actu secundo, sed tantum in actu primo, id est, non tribuit jus naturale ad gloriam æternam actu obrinendam, sed solum capacitatem ad tale jus; siquidem ad illud constituendum proximum, & completum requiritur novus Dei favor, qualis est illius ordinatio, promissio, & acceptatio hominis justii ad gloriam æternâ.

SECTIO XLIV.

Proponuntur alia argumenta contraria, & dissolvuntur.

929. RGUES 3. Peccatum, eò ipsò, quòd contra legem naturalem committitur, condignè meretur pœnam sibi æqualem, absque ulla comminatione & debito puniendi in Deo; ergo etiam merita justorum, hoc ipso, quo à gratiâ procedunt, condignè merebuntur vitam æternam, absque ulla promissione, & debito in Deo remunerante. Respondeo primò, dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia per peccatum non fit Deus debitor, neque manet obligatus ad puniendum propter injuriam sibi collatam: at verò in merito Deus fit debitor homini merenti; hoc autem sine promissione ipsius Dei stare nequit; siquidem Deus absolute, & præcisâ ejus promissione, non potest obligari, neque tenetur hominibus præmium dare propter aliquas eorum actiones, cum omnes ei sint debite, & Deus possit eas ob alios titulos exigere.

930. Respondeo secundò negando antecedens; licet enim peccatum ex se, & ex naturâ suâ sit dignum pœnâ; non ita tamen ex sola rei natura sibi determinat aliquam certam, præsertim sensû, quoad speciem, modum, & tempus. Unde quoad hanc determinationem necessaria etiam est ordinatio divinâ; sicut diximus de merito in ordine ad præmium. Nam damnati de facto plura peccata committunt, quibus reddantur digni novâ pœnâ, non tamen eâ puniuntur, neque eam dicuntur mereri defectu ordinationis divinæ: Sicut etiam Beati, & Animæ Purgatorii multos eliciunt actus bonos, quibus poterant, non tamen de facto merentur augmentû gratiæ & gloriæ ob defectum etiam ordinationis divinæ.

931. ARGUES 4. Nostra bona opera non sunt in se meliora per extrinsecam Dei ordinationem, & promissionem; sed ex se sunt condignè meritoria vitæ æternæ; ergo tenetur Deus eis præmium dare, etiam si nihil antea cum homine pacificatur. Confirmatur, quia homini laboranti in vinea tenetur dominus vineæ pretium solvere, etiam si nihil cum eo antea fecerit conventionem, ex eo solum operarius dignus sit mercede suâ; ergo &c. Respondeo negando consequentiam; licet enim ordinatio, & promissio divinâ, non reddant nostra bona opera meliora, & magis condigna condignitate, & proportionè intrinseca, & veluti in actu primo, requiruntur tamen, ut ea reddant condigna in actu secundo, prout supra diximus. Ad confirmationem datur diversa ratio, quia dominus vineæ non habet

Tom. 2.

in cum laborem jus ullum, propter quod possit laborem illum exigere; sicque dum videns permittit hominem laborare, censetur acceptare obligationem solvendi: hoc autem non accidit in Deo, ut potè cui omnes nostræ actiones sunt debite, & habet jus ad omnes illas exigendas ob plures alios titulos.

932. ARGUES 5. Si ordinatio, & promissio divinæ essent omninò necessaria ad meritum condignum vitæ æternæ, opus esset, quod hominibus innotesceret, ut mererentur; sed hoc est falsum; siquidem illas ignorant plures, & plures ad illas non advertunt, qui tamen mereri non desinunt; ergo &c. Respondeo licet in contractibus privatis, qui sunt inter homines, necessaria sit notitia promissionis & pacti, ut detur obligatio justitiæ; non ita tamen in iis, quæ lege publica fiunt; nam si tali lege promissum fuerit præmium facienti aliquod opus, qui illud fecerit, etiam si ignoret præmium promissum, jus acquirere ad illud; siquidem tale jus non oritur ex speciali voluntate operantis, sed ex ipso opere, suppositâ promittentis voluntate: hoc autem à fortiori militat in lege divina, utpote quæ non solum est publica, sed procedit à voluntate suprema, quæ potuit solâ suâ auctoritate facere promissionem donandi præmium sub conditione alicujus operis, independentè à notitia operantis. Accedit, etiam dato, quod in homine operante necessaria esset aliqua notitia, sufficeret quidem illa generalis, aut virtualis, quæ unusquisque censetur sibi velle acquirere suis bonis operibus, quidquid potest.

933. ARGUES 6. Promissio non est necessaria ad meritum inter homines; siquidem licet ego nihil promiserim meo benefactori, adhuc ille aliquid meretur ob beneficia mihi collata; ergo idem erit de merito apud Deum. Respondeo negando antecedens, si sermo sit de merito, per quod acquiratur jus justitiæ; ad hoc enim, etiam inter homines, necessaria est promissio, saltem implicita; siquidem nemo potest ex justitiâ aliquid mereri apud aliquem, nisi intercedat aliquod pactum, sive promissio (seclusâ lege publicâ alio statvente); alioqui posset quis obligari ex justitiâ per actionem alterius absque proprio cõsensu, vel auctoritate legis, quod est absurdum. Ad probationem dicimus ibi ad summum dari debitum ex mera gratitudine, si non detur promissio, illud autem debitum nõ supponit proprium meritum ex justitiâ remunerandû.

934. ARGUES 7. Meritum de condigno non est in materia justitiæ secundum rationem valoris, & æstimationis pretii, sed in materia actionis studiosæ, & honestæ naturâ suâ poscentis pro remuneratione laudem, & gloriam, absque ullo debito, & obligatione in remunerante; ergo ad condignitatem meriti vitæ æternæ non est necessaria ordinatio, & promissio divinâ. Respondeo primò negando antecedens, ut ex infra dicendis constabit; datur enim inter hominem justum condignè merentem, & Deum remunerantem obligatio justitiæ.

935. Respondeo secundò, licet concedamus, meritum non restringi tantum ad materiam justitiæ perfectæ, sed extendi etiam ad materiam justitiæ imperfectæ, & potestativæ, negando tamen, posse prout sic reperiri absque ullo debito in remunerante, ac proinde sine ulla promissione; siquidem omnis virtus ad alterum debet supponere aliquod debitum sive legale, sive morale in altero, quod quò strictius est in retribuente, eò perfectius jus meriti illi correspondet in operante; illud verò debitum debet etiam supponere promissionem.

936. Instabis; Condignè mereri apud Deum, idem est, quod condignè aliquid à Deo impetrare; sed opera

Zz

opera

opera iustorum, absque ulla promissione, sunt condignè impetratoria vite aeternae apud Deum; ergo & condignè meritoria. Respondeo negando majorem: Primò, quia oratio iusti pro aliquo dono temporali, est condignè impetratoria; siquidem nihil ei desit ad opus perfectè impetratorium; & tamen non est condignè meritoria, defectu promissionis conferentis infallibile jus ad tale donum. Secundo, quia quodlibet opus Christi Domini erat condignè impetratorium cujuscunque præmii possibile; & tamen non erat illius condignè meritorium, defectu promissionis. Tertio, quia opera Beatorum sunt condignè impetratoria pro aliis; & tamen defectu promissionis, non sunt condignè meritoria.

937. Argues 8. Si ad meritum de condigno necessaria esset promissio, sequeretur, meritum Christi Domini non esse de rigore justitiæ; siquidem cum promissio pendeat ex libera voluntate promittentis, potuit talis promissio Christi meritis non fieri; ac proinde potuerunt non esse perfectæ; consequenterque de rigore justitiæ, ac perfectæ condignitatis apud Deum; sed hoc non est dicendum; licet enim inter Christum, & Deum propria justitiæ non intercedat, non tamen debet negari, meritum Christi esse de rigore justitiæ, qualis in meritis esse potest, nempe perfectæ condignitatis, non indigentis extrinsecâ acceptatione ad præmium merendum; ergo &c.

938. Respondeo merita Christi Domini non ideo dici de rigore justitiæ, quia ex se sunt condigna, & nullâ egent promissione; alioqui etiam merita iustorum dicerentur de rigore justitiæ respectu gloriæ, quia ex se sunt condigna, & nullam requirunt promissionem, quod ipsi Adversarii non admittunt: sed ideo dici de rigore justitiæ, quia saltem ratione Personæ, à quâ procedebant, non fundabantur in gratia præmiantis, cum nulla gratia facta sit Personæ, sed tantum nature humanæ Christi merentis: at verò merita iustorum fundantur in gratia habituali gratis collatâ personæ merenti; sicque ut sint condigna ex justitiâ, debet dari promissio.

939. Argues 9. Si ad meritum de condigno necessaria esset promissio divina, sequeretur, plus valere nostrum peccatum ad mortem secundam nobis inferendam, quam Christi meritum ad gratiam, & gloriam nobis restituendam; siquidem proprium peccatum absque ullo pacto, & comminatione meretur nobis penam aeternam; meritum autem Christi, non nisi ex pacto, & promissione gratiam & gloriam nobis debuit promereri; atqui sequela non est admittenda; siquidem est contra Caium Epist. 1. Agapitum Epist. 2. & D. Leonem *serm. 12. de Passione*, asserentes validas fuisse donum libertatis, quam debitum servitutis; ergo &c.

940. Respondeo negando sequelam; nam in actu primo, (in quo sensu intelligendi sunt citati Patres,) validius est meritum Christi ad vitam animæ restituendam, quam proprium peccatum ad mortem inferendam; cum illud sit infiniti valoris, hoc verò finitæ malitiæ, ut alibi dicemus; non ita tamen in actu secundo, & in modo causandi; siquidem plura requirit Christi meritum, ut vitam, quam peccatum, ut mortem causat; hoc enim seipso essentialiter animi mortem causat; illud autem animi vitam dependentem à voluntate Dei.

941. Argues 10. Si ad meritum condignum necessaria esset promissio divina, sequeretur, Christum Dominum non ita meruisse gratiam Antiquis Patribus; siquidem cum ad id requiratur pactum inter merentem, & retribuentem, pactum autem fieri

debuisset cum Humanitatè Christi, quæ mereri debebat, non potuit Deus cum ipsa nondum existente pacificè de gratia illis danda ex ejus meritis; ac proinde hæc non potuerunt illis mereri gratiam de condigno; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando sequelam; potuit enim Deus propter merita Christi in promissione prævisâ fundata ut à Christo acceptanda, dare Antiquis Patribus gratiam. Unde licet ante Christi Humanitatem non potuerit hæc promissio esse nota, & acceptata ab humana Christi voluntate, hoc tamen non potuit impedire, quin Christi merita fuerint meritoria omnis gratiæ eis collatæ.

Argues 11. Christus Dominus meruit de condigno præmium infinitum; & tamen non ei fuit promissum infinitum; ergo ad meritum de condigno non est necessaria promissio divina. Respondeo primo negando consequentiam; diversa ratio est, quia merita Christi Domini fuerunt condigna, & æqualia præmio æqualitate absolutâ, & rei ad rem: at verò merita humana solâ æqualitate geometricâ & proportionis, sicque egent promissione divinâ, ut sint condigna vite aeternæ, saltem in actu secundo. Respondeo secundo distinguendo majorem; meruit de condigno præmium infinitum in actu primo; concedo majorem: in actu secundo; nego majorem; de factis enim non fuerunt delimitata Christi merita ad quidpiam simpliciter infinitum. Respondeo tertio cum *P. Ripal. cit. num. 15.* negando minorem; dicit enim credible esse, Christo Domino promissum fuisse præmium infinitum, licet subiectum illius arbitrio, ut si ei libuisset existeret alia Unio Hypostatica; aut gratia categoricæ, sive synkategorematicæ infinita, etiam si re ipsa non extiterit, non quia defuit Patris promissio, sed quia defuit voluntas Christi efficacis.

Argues 12. Deus allectus bonitate operis, & dignitate personæ, potest conferre homini præmium adæquatum valori operis, licet nullum præceperit pactum de illo conferendo; sed in eo eventu præmium triphueretur operi condignè meritorio; siquidem non excederet operis pretium; ergo promissio antecedens necessaria non est ad meritum condignum. Respondeo primo cum *P. Soar. opud P. Ripal. cit. num. 17.* negando majorem; asserit enim P. Soar. opus æquale præmio, cui antecederet ipsum præmium non est promissum, non esse simpliciter meritorium de condigno, sed de congruo tantum, licet potuerit esse de condigno, accedente promissione Dei, & obligatione justitiæ.

Respondeo secundo cum ipso P. Ripal. negando consequentiam; dicit enim, sufficere legem consequenter decernentem præmium æquale operi intuitu ipsius operis, ut absolute dicatur homo meritis de condigno tale præmium, saltem pro posteriori decreti divini connectentis opus cum hoc determinato præmio; siquidem tale decretum consequens æquivaleret promissioni antecedenti ad efficaciam, & connexionem operis cum præmio, per quam opus in actu secundo est meritorium.

Quæres tamen hic: Utrum promissio Dei sit etiam necessaria sub conditione operis, ut supposito æqualitate, & proportionem ipsius operis cum præmio, illud mereatur homo de condigno, teneaturque Deus ex justitiâ illud homini dare? Affirmative. Ita D. Thom. 1. 2. *quæst. 114. art. 1. Com. ad. 6. Med. ibid. Casp. in 2. dist. 27. art. 3. ad 3. & P. Soar. como 3. de Grat. lib. 12. cap. 18. num. 5. Scot. P. Arriaga & alii supra cit. Probatur, quia meritum de condigno est meritum ex justitiâ, per quod homo*

homo acquirit jus ad præmium, ut infra dicemus; sed hæc justitia non potest dari inter hominem, & Deum, nisi interveniente promissione divina de opere remunerando; ergo &c.

946. Probatur minor primò ex illo Matt. 20. *Nonne ex denario convenisti mecum, tolle, quod tuum est; & vade: ubi tota ratio justitiæ ponitur in conventionem, & promissione Dei sub conditione operis. Secundò ex Concil. Mogunt. cap. 8. & Concil. Senonens. cap. 16. afferente justitiam nostrorum meritorum Non fundari in absolutâ condignitate nostrorum operum, sed magis in liberali. & gratuita promissione Dei, quâ, conventionem factâ, conduxit operarios. Et faveat Trid. sess. 6. cap. 16. dum dicit, justis bene operantibus proponendam esse vitam æternam Tanquam mercedem ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddendam. Tertio ex D. Aug. epist. 105. & lib. 4. contr. duas epist. Pelag. cap. 6. & serm. 16. de verb. Apostol. ubi tractans, an homo possit Deo dicere: Redde mihi: prius dicens, nos ex nobis non habere, unde istâ voce exigamus debitorem Deum, statim adjungit: Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus: redde, quod promisisti, quia fecimus, quod jussisti, & hoc tu fecisti, quia laborantes jussisti.*

947. Quartò ratione, quia meritum de justitia, & dat jus merenti, & constituit debitorem illum, apud quem meretur; siquidem repugnat, me habere jus justitiæ ad alterum, nisi ipse mihi obligetur ad illud jus reddendum, cum sit relatio reciproca. Unde meritò D. Paul. ad Rom. 4. *Et, inquit, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum; sed qui ex justitia meretur, facit sibi debitum præmium; ergo ab aliquo facit debitum; repugnat enim aliquid esse debitum, quin ab aliquo debeat; sed non ab alio, nisi ab eo, apud quem meretur; meritum enim non dicit relationem ad alium; ergo meritum justitiæ apud Deum, ipsum constituit debitorem, ut tradunt D. Cyprian. lib. de oper. & elemosyn. sine D. Aug. Psal. 83. sine, & tract. 3. in Joam. D. Fulgent. ad Monim. in præfat. D. Bernar. de Grat. & liber. arbitr. & D. Chrysost. hom. 3. in Matt. Sed non potest ex parte Dei intelligi tale debitum, nisi ejus promissio præcesserit, quâ nobis aliquid promittit sub conditione operis; siquidem cum sit absolutissimus Dominus suorum bonorum, & omnia nostra opera sint ei aliunde debita, non potest obligari ad illa donanda, neque ad ista remuneranda, nisi ipse velit, & promissionem de eo liberè faciat; ergo &c. Ex dictis:*

948. Colliges primò, solam ordinationem in gratiâ habituali essentialiter inclusam, non sufficere ad proximum, & completum meritum gloriæ; licet enim justus ratione illius habeat jus physicum, & remotum ad gloriam, tanquam ad proprietatem gratiæ debitam; non tamen illud habet morale, & proximum absque nova Dei promissione; siquidem hoc confurgit ex nova voluntate Dei consentientis infallibile jus ad gloriam actu obtinendam; posset enim Deus gratiam conferre, & negare gloriam, & tunc justus haberet ad gloriam jus physicum, & remotum, non autem morale, & proximum.

949. Colliges secundò, promissionem non requiri, ut conferat operibus ex gratia procedentibus valorem physicum, sive condignitatem remotam; siquidem hanc habent à gratiâ, prout est quedam participatio Naturæ Divinæ, sed solum ad conferendum morale complementum meriti; alioqui non solum justus per opera à gratiâ facta possent condignè mereri gloriam, sed etiam peccatores per

Tom. 2.

contritionem possent condignè mereri gratiam; siquidem eodem modo promissa est gratia contritis, atque gloria justis.

Colliges tertio, ad perfectum meritum morale, & proximum apud Deum, non sufficere purum decretum internum Dei de danda gloria, absque ullo externo signo nobis manifestatum; siquidem jus in bona alterius ex natura rei non acquiritur, nisi per moralem collationem illius; sed quandiu talis collatio juris manet in sola voluntate domini interna, non censetur nobis moraliter collatum, sed adhuc manere apud dominum; tunc enim res fit nostra, quando exit à dominio, & voluntate donantis, & transfertur in donatarium; sic autem exit, & transfertur, quando signo aliquo externo transfertur in alterum; ergo &c.

Dices: Solum internum decretum ponit debitum retribuendi in Deo; ergo solum sufficit ad perfectum meritum inter nos, & Deum. Respondeo negando consequentiam; nam præter debitum in Deo, requiritur etiam jus in creatura; hoc autem non nisi externa manifestatione acquiritur; cum enim omne jus translatione acquiratur, omnis translatio signo aliquo manifestativo fieri debet; non tamen opus est, ut hæc manifestatio singulis personis fiat, sed satis est, si tantum fiat communitati.

Colliges quartò, quæ diximus de bonis operibus respectu præmii, intelligenda esse pariter de operibus malis respectu pœnæ; siquidem potuit Deus peccatum mortale, licet ex se condignum pœnâ æternâ, non punire; sicut de facto novâ pœnâ sensus, quæ jam damnati in inferno committunt. Unde sicut ad meritum in actu primo indifferens non requiritur obligatio in præmiante, neque connectio infallibilis cum præmio, ita neque ad demeritum: & sicut posito decreto de non conferendo præmio, adhuc opera bona dici possunt esse de se meritoria in actu primo, ita & opera mala dici possunt demeritoria.

SECTIO XLV.

Ex qua virtute Deus justorum merita remuneret?



953. ADVERTES primò ex P. Molin. tomo 1. de just. d. 1. P. Less. de just. lib. 2. cap. 1. à dub. 1. P. Vasq. 1. part. d. 85. & aliis infra citandis, justitiam tripliciter sumi: Primò latissime pro virtute constituyente æqualitatem cum regula rationis, & prout justitia comprehendit omnes virtutes; siquidem omnes dicunt hanc commensurationem, sive æqualitatem cum regula rationis. Secundò strictius pro virtute constituyente æqualitatem cum regula rationis in ordine ad aliud, & prout sic justitia complectitur religionem, gratitudinem, obedientiam, & similes alias virtutes, quæ dicunt ordinem ad aliud. Tertio strictissime, ac propriè pro virtute constituyente æqualitatem alteri debitam ratione juris, quod habet ad illam, eo tamen rigore, ut si tali juri quis non satisfaciat, irrogetur alteri injuria.

954. ADVERTES secundò, justitiam in hac tertiâ acceptione dividi in legalem, & particularem: legalis, quæ etiam generalis, & publica dicitur, procurat bonum commune Reipublicæ, existitque potissimum in Principe, utpote quæ dirigit ad condendas leges bono communi necessarias: & etiam in cive privato, quatenus dirigit ad obedientiam debitam

Zz 2